



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

256 Tituli alienatio quatenus Concilio Trident. prohibita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

vnquam clericus beneficium suum ad cuius titulum fuit ordinatus resignet, nisi constiterit eum aliundè satis commodè viuere posse, & vt alioqui resignatio sit ipso iure nulla. Quare cum nec hospitalium in beneficia dari minime solitorum præfectura, nec beneficia manualia seu præstimonialia, nec decimarum collectio, nec vlla similia iura cuiquam concedantur ab Ecclesiis in perpetuum seu ad vitam, sed instar tutelæ vel curæ dumtaxat ad tempus, d. Clementina 2. §. vt autem. de relig. domib. non est mirum si beneficia cum talibus permutari nequeant. Posui solam decimarum collectionem, quæ potest & laicis committi, quod alioquin ipsæ decimæ, sicut & primitiæ, & oblationes, & sepulturæ, sint pars quædam ipsorum beneficiorum; de quali parte cum beneficiis permutanda non satis aptè quereretur cum beneficia diuidi non debeant c. maioribus. de præbend. Eodemque modo, de collectione nimirum decimarum, sumi debet quod ad Bonifacianam verb. *Beneficia* de permutatione beneficiorum cum decimis quærebatur. Atqui patronatus ius est, inquis, perpetuum; cur ergo cum beneficiis permutari nequit? quia non datur in titulû beneficij vnde quis viuere possit, sed absq; magnis emolumentis plerumque solius honoris causa competit etiam laicis vt ac tanquã vel fundatoribus, vel dotatoribus, vel restauratoribus; qui tamè subinde propter ægestatē debent ab Ecclesiis ali. quæ quidē res nihil habet cum beneficiis Ecclesiasticis commune.

256
Tituli alienatio quatenus
Cõcilio Trid.
prohibita.

257
Hospitalia, manualia, præstimonialia, decimæ, cur cum beneficiis non permutantur.

258
Ius patronatus, cur iure non.